MISSA
IN FESTO
S. STANISLAI KOSTKÆ,
CONFESSORIS, PATRONI REGNI POLONIÆ

INTROITUS.

Psal. 36. OS justi meditábitur sapiéntiam, & lingua ejus loquetur judícium: lex Dei ejus in corde ipsîus. *Psalm:* Noli æmulári in malignantibus: nequé zelaveris facientes iniquitatem. ℣. Gloria Patri.

Ibidem.

ORATIO.

DEUS, qui inter cætera Sapientiæ Tuæ miracula etiam in tenera ætate maturæ sanctitatis gratiam contulisti; da quæsumus, ut B. STANISLAI exemplo, tempus instanter operando redimentes, in æternam ingredi requiem festinemus. Per Dominum nostrum &c.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccli 31. BEatus vir, qui inventus est sinè mácula, & qui post aurum non abijt nec speravit in pecunia, & thesauris. Quis est hic, & laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna. Qui pótuit tránsgredi, & non est tránsgressus; fácere mala, & non fecit: ideò stabilîta sunt bona illîus in Domino, & eleémósynas illîus enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.

Graduale. Iustus ut palma florebit: sicut Cedrus Líbani multiplicábitur in domo Domini. ℣. Ad annuntiandum manè misericórdiam tuam, & veritatem tuam, per noctem. Allelúia, Allelúia. ℣. Beatus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cùm probâtus fuerit, accipiet corônam vitæ. Allelúia.

Sequéntia Sancti Evangélij secundùm Lucam.

IN illo tempore: Dixit IESVS Discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in mánibus vestris, & vos símiles homînibus expectántibus Dóminũ suum, quando revertâtur à núptijs; ut cùm vénerit &

pul.

pulsáverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, quos, cùm vénerit Dóminus, invénerit vigilantes: Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discúmbere, & transiens ministrabit illis. Et si vénerit in secunda vigília, & si in tertia vigília vénerit, & ita invénerit, beati sunt servi illi. Hoc autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur veníret, vigiláret utiqué, & non síneret perfódi domum suam. Et vos estote paràti: quia qua hora non putátis Filius hóminis veniet.

Psal: 88 *Offertorium.* Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

SECRETA.

ANgelórum pane, quæsumus Domine, Beati STANISLAI nos intercessio dignos efficiat, qui eô meruit Angelica manu recreari. Per Dominum.

COMMVNIO.

CIbávit illum Dóminus pane vitæ, & intellectûs, & aqua sapiéntiæ salutáris potavit illum. Eccl: 15 2.

POSTCOMMVNIO.

UT nobis, Dómine, cœléstis, quem sumpsimus, panis, sit vitæ Beato STANISLAO Confessôre tuo intercedente, quæsumus, panis sit intellectûs, & potus aqua sapiéntiæ salutaris. Per Dominum nostrum IESVM &c

